



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

9. De statu &c. Suppresso Ypris Monasterio Canoniorum Regularium
Sancti Martini, Ecclesiam illam constituit Cathedralem, anno 1560. simul
ibidem erigens novum Episcopatum suffraganeum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

tiam præmissorum, & quorumcumque aliorum, seu motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, ac alias quomodocumque concessis, confirmatis, & etiam iteratis vicibus innovatis, & concedendis, & innovandis.

Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per Clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & formâ in illis traditâ observatâ, inserti forent, presentibus pro sufficienter expressis habentes, quamvis talia, & multa sint, quæ sub Clausula implicitæ derogationis latissime extendenda in supplicatione apposita non intelligantur, aut alias comprehendantur, nihilominus in genere, & in specie, ad effectum sufficientis derogationis eorum, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus, contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui in Majori, & Sancti Petri Ecclesiis prædictis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus, seu Commendis sibi faciendis, de Canonicatibus, & Præbendis, ac Dignitatibus, & Officiis Majoris, & Sancti Petri Ecclesiarum, ac Prioratibus huiusmodi speciales, vel pro aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & Decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & processus habitos per easdem, ac inde sequuta quæcumque ad Decanatum, & Officia, Canonicatus, & Præbendas suppressos, & Graduatis affectos, ac Prioratus huiusmodi volumus non extendi; Sed nullum per hoc eis quoad asequutionem Canonicatum, & Præbendarum, ac Dignitatum, & Officiorum, ac Prioratum, seu Beneficiorum aliorum præiudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumcumque tenoribus existant, per quæ presentibus non expressa, vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, unionum, annexionum, incorporationum, suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, statuti, ordinationis, applicationis, appropriationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo, quarto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Suppresso Ypris Monasterio Canonicorum Regularium Sancti Martini, Ecclesiam illam construxit Cathedralam, anno 1560. simul ibidem erigens novum Episcopatum Suffraganeum Archiepiscopatus Mechliniensis, eique assignans pro dote Præposituras S. Martini Ypris, S. Walburgis Furnis, & plurima Bona antiquæ Morinensis Ecclesiæ.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DE Statu Ecclesiarum omnium, præsertim Cathedralium insignium noviter erectarum, prosperè, & feliciter dirigendo attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum conservationi, decori, & venustati, ac profectui, & illis præsidentium commoditati, ac aliarum in eis divinis obsequiis vacantium Personarum opportuna subventioni consulatur.

Et interdum ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus super his consultè gesta fuerunt, ex saniori Consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout rerum, & temporum, ac personarum, & Regionum qualitatibus præfatis, conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque, sicut accepimus alias, postquam felicis recordationis Paulus PP. Quartus Prædecessor noster, providi vigilisque Pastoris more considerans, quod ea pars inferioris Germaniæ, quæ charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hereditario jure etiam tunc subiecta erat, pro tanta Oppidorum celeberrimorum frequentia, locorumque suorum multitudine, adeo paucas Ecclesias Cathedralis habeat, ut earum Episcopi eâ, quâ opus erat diligentia, tantam animarum multitudinem minimè regere poterant, idque quibusdam hoc erat difficultius, quod ipsorum Diœcesani Linguae idiomatice, institutisque differabant, & quidam eorum etiam ejusmodi privilegia habebant, ut ipsos ad Sedem Episcopalem non liceret evocare, ita ut nec fidei doctrinâ, & piè vivendi præceptis commode instrui, nec, si quid deliquissent, facile corrigi ab Episcopis suis possent; Ad ipsos verò Episcopos visitandos, admonendos, & in officio suo continendos, nulla in tota illa regione Ecclesia erat Metropolitana: Sed Archiepiscopi extra fines ipsius ditionis existentes propter multa & varia impedimenta nulli Suffraganeis suis usui jampridem erant, & propter assiduas insidias, dolos, pestiferasque doctrinas populorum hæreticorum, & Schismaticorum, à quibus eadem Regio omnifere ex parte cincta, atque obsessa erat, Catholica illic fides, & animarum salus in maximo discrimine, & periculo versabatur; His, & aliis gravibus Causis impulsus, volens etiam ipsius Philippi Regis precibus annuere, tamque pio ejus desiderio satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eorum Consilio, & Apostolicæ potestatis plenitudine Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem, & Tornacensem Ecclesias, Civitates, & Diœceses à Remensi, & Colonienfi Provinciis, quibus tunc erant Metropolitanico Jure subiectæ:

Ac Mechliniense, Iprensè, Audomarense, & diversa alia tunc expressa Oppida insignia dictæ Regionis à sua quoque Diœcesi, & Provincia:

Nec non ab Ecclesia Morinensi eam partem Diœcesis Morinensis, quæ in Arthesiæ & Flandriæ Comitatus ditionis præfati Philippi Regis erat, cum omnibus & singulis suis Terminis, Territoriis, Cleris, Populis, Personis, Monasteriis, & Pius Locis, ac Beneficiis Ecclesiasticis cum Cura, & sine Cura Sæcularibus, & quorumvis Ordinum Regularibus, perpetuò segregaverat, nec non Mechliniense, Iprensè, Audomarense, & reliqua oppida præfata sic divisa in Civitates: Cameracensem verò, & Trajectensem tunc Episcopales Sedes, ac olim Collegiatam Sancti Rumoldi Mechliniensem Ecclesias in Metropolitanam, ac olim Monasterii Sancti Martini Iprensè, Ordinis Sancti Augustini Canonicorum Regularium, nec non Sancti Audomari Audomarensem, & certas alias aliorum Oppidorum in Civitates erectorum præfatorum Ecclesias in Cathedralis pro totidem Episcopis creandis, qui suæ quisque Ecclesiæ præessent, ac Iprensi, & Audomarenfi Ecclesiis, & Civitatibus præfatis, certos districtus per Nuntium suum postmodum

IX.
Ex Op.
Diplom.
Mirai
Tom. II.
p. 1077.

ab eo illuc mittendum limitandos, pro sua Diœcesi perpetuò concesserat.

Nec non Iprensensem, Mechliniensem, Audomarensem verò, & Atrebatensem Ecclesias, Civitates & Diœceses antedictas Ecclesiis hujusmodi pro sua Provincia subjecerat, singulisque Iprensi, & Audomarensi Mensis Episcopalibus annuum redditum trium millium Ducatorum auri de Camera ex certis decimis, & bonis, ac fructibus, redditibus & proventibus Ecclesiasticis, per dictum Nuntium specificandis, & repartendis, ex tunc, prout ex ea die, & è contra, postquam specificati, & repartiti, ac interim donec specificatio & repartitio hujusmodi facta, & effectum sortita forent, & non ultra, cuilibet ex prædictis Mensis pro earum dote alium annuum redditum mille, & quingentorum Ducatorum similibus, per ipsum Philippum Regem ex redditibus, & proventibus, quos ex dicta Regione percipiebat, Iprensi, & Audomarensi Episcopis pro tempore existentibus singulis, quousque specificatio, & repartitio præfata, ac pro ea tantum parte, quæ plenarium suum effectum minus sortita foret, nec ultra, integrè, & proportionabiliter perfolvendum, perpetuò applicaverat, & appropriaverat. Eidemque Philippo Regi, ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici personas idoneas, ac alias certis tunc expressis modo & forma, qualificatas ad dictas Iprensensem, & Audomarensem, ac alias Cathedralis Ecclesias sic erectas, tam à primæva erectione hujusmodi, quam quotiescumque illas pro tempore vacare contingeret, eidem Prædecessori, & Romano Pontifici, qui pro tempore foret, per eum in Archiepiscopos & Episcopos ad nominationem hujusmodi ordinandos, in perpetuum reservaverat, per quasdam sub plumbo, & deinde per alias suas in forma Brevis Litteras; Venerabili Fratri nostro, tunc suo, Salvatori Episcopo Clusiniensi, suo, & Apostolicæ Sedis Nuntio, in partibus illis dederat in mandatis, ut personas idoneas, qui dictas Provincias & Diœceses distinguerent, & limitarent, ac dotem dictarum Ecclesiarum à Monasteriis sub illis consistentibus dismembrarent, cum potestate omnia in his necessaria faciendi, vice sua deputarant.

Dilectus Filius noster Antonius, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis Atrebatensis, nuncupatus, tunc Episcopus Atrebatensis, ac quatuor alii scientia, & probitate insignes viri, quos ipse Salvator Episcopus, & Nuntius, dicto Prædecessore interim de medio sublato, vigore, seu prætextu mandati, & posteriorum litterarum hujusmodi substituerat, licet forsitan eorum aliqui de illis personis non essent, quæ ad id canonicè subdelegari poterant.

Facta nihilominus per eos diligenti rerum indagine, ac omnibus maturè pensatis, animadvertentes, quod per dismembrationem Bonorum in Monasteriis, & Præposituris prædictis, si fierent, cultus monasticus non mediocriter læderetur, ipsa Monasteria, & Præposituras Mensis prædictis pro dote suarum Ecclesiarum, ad hoc ut Episcopi etiam illorum Curam perinde atque suam propriam perpetuò gererent, potius esse unienda, ac designationes, & limitationes Provinciarum, & Diœcesium, divisionesque & distributiones oppidorum & jurisdictionum in nonnullis partibus ipsarum Diœcesium commodiores illis, quæ per primodictas litteras statuuntur, nec non constitutiones & assignationes dotium, & denique numerum personarum ac Dignitatum, Præbendarum, Beneficiorum, & Officiorum, statum quoque & formam, in præfatis Ecclesiis, etiam per hujusmodi dismembrationes, applicationes, suppressiones, translationes, novas institutiones, & alias in univèrsim accommodas rationes.

Et super majori illorum parte processus, seriè digestis rebus omnibus, formandos curaverunt, & inter

alia dictæ Ecclesiæ Iprensi, & pro tempore Episcopo Iprensi districtus Parochialium Ecclesiarum videlicet.

In Archipresbyteratu Civitateni Sancti Martini Iprensis, S. Mariæ de Brila, Sancti Petri Iprensis, Sancti Jacobi Iprensis, Sancti Nicolai Iprensis, Sancti Joannis apud Ipram.

In Decanatu Warnetonensi Parochia Warneton, Poolecap, Paeschedale, Moorle, Bunderva, Bekelare, Legem, Dadizeele, Geluwe, Kemmelef.

In Decanatu Ballionensi Parochia Ballionensis, Meremes, Meires, Sancti Joannis Cappella, Eecke, Caestre, Canisvilla, Borra, Stracele, Waloncapelle, Hazebroucke, Hiepe, Capelle.

In Decanatu Poperingensi, Dominae nostræ de Poperingis, Sancti Joannis de Poperinga, Sancti Bertini Dronautre &c.

In Decanatu Furnensi Sancti Nicolai de Furnis, Sancti Dionysii Furnensis, Sancti Walburgis Furnensis, Hogestaede &c.

In Decanatu Casletensi Dominae Nostræ Casletensi, Sancti Nicolai Casletensis, Segeri Capella &c.

In Decanatu Winochy-bergeni Sancti Petri Bergensis, Sancti Martini Bergensis, Duynkercke, Steen &c.

In Decanatu Dixmudensi Parochia Dixmuden, Eessone, Clarckem &c.

In Decanatu de Neupoort Dominae nostræ de Neupoort, Ramscape, Oost-duinckercke, Sancti Georgii in nova Terra, Zoutenay, Sanctæ Catharinæ Capella, Sancti Guilielmi Capella, Bendishouche, pro sua Diœcesi designaverunt, prout in processibus & scripturis, ac singulis litteris prædictis continetur.

Nos qui dudum inter alia volumus, quòd semper in unionibus commissio fieret ad partes, vocatis quorum interest, quique nuper Cathedralis Ecclesiam Morinensem, certo tunc expresso modo, Pastoris solatio destitutam, ac Sedem illius Episcopalem, & in eis omnia & singula Episcopalia Jura, & Cathedralis Ecclesiæ insignia, pro eo quòd alias per Conditiones Pacis inter prædictum Philippum, & clare memoriæ Henricum Francorum Reges firmata, sub dictæ Sedis beneplacito decretum fuerat, quòd Civitas Morinensis tunc solo æquata non restauraretur, sed illius Ecclesiæ, & Diœcesis præfatae, ac Beneficia, Beneficiorum Collationes, & proventus in duas partes dividerentur, quarum altera Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ esset, penitus suppressimus, & extinximus.

Et Diœcesim Morinensem, ac omnia & singula sub ea, & in decreto prædicto comprehensa in duas partes, quarum una Franciæ, altera verò inferioris Germaniæ hujusmodi juxta dictum decretum esset, & ulterius illam Diœcesim Morinensem partem in inferiori Germaniâ hujusmodi extantem, cum Bonis, Censibus, Feudis, Decimis, aliisque proventibus sub ea comprehensis, qui valorem annuum duorum millium Ducatorum Auri de Camera, secundum communem estimationem, constituunt, in duas alias æquales partes, & duas alias Diœceses divisimus, & separavimus.

Ac Iprensi unam, Audomarensem verò Ecclesiis, ac Mensis Episcopalibus reliquam, partes & Diœceses subdivisas hujusmodi, pro sua quaque Diœcesi, & parte dotis perpetuò applicavimus.

Attendentes, quòd si præfatis temporibus, dum dicti populi sensim accrescebant, de novis Ecclesiis Cathedralibus, optimisque Præsulibus opportuno tempore prospectum fuisset, profectò tot perniciofa hæresium dogmata, quibus Religio Christiana passim laceratur, & affligitur, haud ita violenter invaluissent.

Nunc autem cum ad illa arcenda, & extirpanda, ac simul populos ipsos in sinceritate Fidei continendos, dictus Prædecessor nulla alia æquè opportuna remedia potuerit adhibere, quàm supradicta.

Ut ea juxta cordis sui, atque nostri desiderium, promptos & felices sortiantur effectus, etiam nostri Ministerii partes præmissis adjicere, ac illa omni-

bus aliis, quibus possumus, rationibus juvare, & promovere volentes:

Nec non Bonorum Dignitatibus, ac Canonicatibus & Præbendis infrascriptis, per præsentis applicandorum fructuum, reddituum, & proventuum, veros annuos valores, nec non singularum literarum, processuum & scripturarum prædictorum veriores tenores, ac si de verbo ad verbum inferrentur præsentibus, pro expressis habentes.

Continuis etiam hortationibus dicti Philippi Regis, id pro salute dictorum Populorum enixe prosequenti excitati, motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam de Apostolica potestatis plenitudine, divisionibus, limitationibus, & distributionibus Subdelegatorum hujusmodi in dictis processibus specificatis, tanquam in melius reformatis inhaerendo, ac priores litteras hujusmodi quoad infrascripta immutando.

Omnia & singula suprascripta oppida, castra, villas, loca, jurisdictiones, districtus & jura, in posteriori designatione Subdelegatorum hujusmodi comprehensa, cum Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis & Locis Ecclesiasticis, ac Sæcularibus, & Regularibus, aliisque personis, ac populis, cæterisque sub eis comprehensis, præfate Ecclesiæ Iprensi, juxta posteriorem designationem hujusmodi, Auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo concedimus, & assignamus.

Nec non in Monasterio Sancti Martini præfato, cujus Ecclesia in Cathedrali Ecclesiâ Iprensi erecta extitit, ut præfertur, etiam si de illo consistorialiter disponi consueverit, seu debeat, nomen tantum, & denominationem Abbatis, seu Præpositi, ac Dignitatem Abbatialem, seu Præposituræ, statumque, essentiam & ordinem regulares.

Nec non cum primum illos, ac Monasterium, seu Præposituram Sancti Martini hujusmodi per cessum, vel decessum illa nunc obtinentium, etiam apud Sedem eandem, aut alias quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, etiam in aliquo ex Mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio nobis, aut Romano Pontifici pro tempore existenti, per Constitutiones Apostolicas, vel Cancellariæ Apostolicæ regulas, seu litteras alternatarum, aut alia privilegia & indulta reservata extitit, seu fuerit, simul vel successivè vacare contigerit, etiam si actu nunc, ut præfertur, vacant, & tanto tempore vacaverint, quod illorum collatio, & ejusdem Sancti Martini provisio, juxta Lateranensis Statuta Concilii, aut alias Canonicas Sanctiones ad Sedem præfaram legitime devoluta, illique Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existant.

Ac ipsius Monasterii Sancti Martini provisio ad Sedem eandem, specialiter vel generaliter pertineat, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis imminet animarum, super eis quoque inter aliquos lis, cujus statum præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa;

Monasterium Sancti Martini, seu illius ac Ecclesiæ Furnensis, olim Morinensis Diocesis, Præposituras etiam principales, ac qui pro parte dicti Philippi Regis, juxta conditiones hujusmodi relicti sunt, Decanatum forsitan majorem, nec non Penitentiarium, Cantoriam, Scholasticam, Theaurariam, non majores post Pontificalem Dignitates.

Nec non quinque Canonicatus, & quinque Præbendas ex pluribus aliis suppressæ Morinensis Ecclesiæ hujusmodi pro parte dicti Philippi Regis per conditiones pacis hujusmodi inter alia etiam relicto, penitus supprimimus, & extinguimus.

Ac ex dicta Ecclesiâ Morinensi Archidiaconatum Flandriæ, dignitatem inibi, non tamen post Pontificalem majorem, & ex quindecim Capellanis in ipsa Ecclesiâ Morinensi, octo Capellanias per prædictos Subdelegatos specificatas, ac decem ejusdem Ecclesiæ Morinensis, pro parte dicti Philippi Regis juxta conditiones præfatas relicto.

Et ex ipsa Ecclesiâ Furnensi, in qua triginta Canonicatus, & triginta Præbendæ cum Decanatu existunt, decem alios Canonicatus, & decem Præbendas similiter, quos primò per cessum, vel decessum illos obtinentium, vel alias simul, vel successivè vacare contigerit, vel etiam si ad præsentem vacant, & etiam tanto tempore vacaverint, quod similiter illorum collatio, juxta eadem Lateranensis Statuta Concilii ad Sedem eandem legitime devoluta:

Ipsique Archidiaconatus, & Capellaniæ, ac Canonicatus, & Præbendæ eidem Dispositioni Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati existant, & ad illos consueverint qui per electionem assumi, eisque Cura etiam jurisdictionalis imminet animarum, & super eis inter aliquos lis, cujus statum similiter præsentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, ad dictam Ecclesiâ Iprensi pro uno Archidiacono, & totidem Canonicis & Capellanis, in dicta Ecclesiâ Iprensi transferimus.

Ac in eadem Ecclesiâ Iprensi unum Archipresbyteratum Civitatem pro uno Archipresbytero Civitatis, qui Curam Rectorum Parochialium Ecclesiarum, ac Verbi Dei, & Sacramentorum per Civitatem;

Et unam Penitentiarium Diocesanam nuncupandas Dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, pro uno Penitentiarium Diocesano nuncupandis, qui Curam Conscientiarum Populi per Diocesim Iprensi habeant.

Et ulterius in Ecclesiâ Iprensi hujusmodi unum Decanatum, dignitatem inibi majorem post Pontificalem, ad suffragia omnium Canonicorum ejusdem Ecclesiæ electivum, pro Præposito ipsius Ecclesiæ Iprensi, deinceps Decano loco suppressæ Præposituræ hujusmodi, qui duplicem distributionem in Choro percipiat.

Et unam Cantoriam pro uno Cantore, ac unam Scholasticam pro uno Scholastico, & unam Theaurariam, etiam Dignitates inibi, non tamen post Pontificalem majores, pro uno Theaurario, ac duodecim alios Canonicatus, & duodecim alias Præbendas, pro duodecim aliis Canonicis ejusdem Ecclesiæ Iprensi perpetuo erigimus, & institui-

mus. Ac unum, & unam ex decem Canonicatibus, & decem Præbendis ex Ecclesiâ Morinensi ad Ecclesiâ Iprensi, ut præfertur, translatis, Mensæ Iprensi hujusmodi similiter perpetuo unimus, annectimus, & incorporamus.

Ita quod Episcopus Iprensis illorum ratione persona Capitularis esse, ac vocem, auctoritatem, & præminentiam etiam in Capitulo supra Decanum, & alias Dignitates, ac Canonicatus, & Præbendas inibi obtinentes habere debeat, liceatque sibi illorum corporalem possessionem propria auctoritate liberè apprehendere, & perpetuo retinere, illorumque fructus, redditus & proventus in suos & suo Mensæ hujusmodi usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentiâ desuper minimè requisita.

Et ulterius eidem Mensæ Iprensi pro sua dote hujusmodi Bona, & proventus trium ex quinque suppressis Canonicatibus & Præbendis Ecclesiæ Morinensis hujusmodi.

Ac Jus Præbendæ in Sabutem nuncupatæ ad Episcopum Morinensem pro tempore existentem pertinentem, sub dictis conditionibus comprehensum, quorum insimul septingentorum, & quinquaginta, ac similiter omnia & singula Bona suppressæ Præposituræ Ecclesiæ Furnensis, ac tot ex Bonis & Proprietatibus Monasterii, seu Præposituræ Sancti Martini hujusmodi, quæ una cum Bonis suppressæ Præposituræ Ecclesiæ Furnensis hujusmodi valorem annum mille constituent, & valorem annum trium millium Ducatorum similium pro dote Mensæ

Episcopalis Iprensis hujusmodi una cum prædictis complebunt.

Nec non Archipresbyteratui, Pœnitentiariæ, Cantoriæ, Scholasticæ, & Thesaurariæ similiter, medietatem æquis portionibus dividendam Bonorum, & Proventuum Cantoriæ, Scholasticæ, & Thesaurariæ suppressarum prædictarum, ac singulis duodecim Canonicatibus, & duodecim Præbendis, ut præfertur, erectis prædictis, tot ex reliquis Monasterii, seu Præposituræ S. Martini proventibus hujusmodi, quor pro competenti dote illorum ad æquivalentiam proventuum illorum Canonicatum, & Præbendarum Ecclesiæ Iprensis hujusmodi opus fuerit, post obitum tamen Religiosorum ejusdem, seu postquam illis aliunde provisum extiterit, eisdem interim sub Cura Decani Ecclesiæ Iprensis hujusmodi remanentibus.

Præterea Decanatus medietatem proventuum Decanatus Ecclesiæ Morinensis similiter pro parte dicti Regis relictorum, ac Præbendam, & Domum per Decanum Monasterii Sancti Martini prædicti haberi, & possideri solitas, & tam illi, quam Archidiaconatus Flandriæ hujusmodi unam, Archipresbyteratui verò, Pœnitentiariæ, Cantoriæ, Scholasticæ, Thesaurariæ præfatis sic erectis, & Graduatis infra scriptis affectis novem Canonicatibus, & novem Præbendis Ecclesiæ Iprensis hujusmodi, reliquam medietatem Bonorum, & proventuum reliquorum duorum Canonicatum, & Præbendarum suppressorum similiter ex nunc, prout ex tunc, & è contra, pro dotis nomine perpetuo applicamus, & appropriamus.

Nec non Episcopo Iprensi Domum Monasterii, seu Præposituræ Sancti Martini hujusmodi, cum hortis, & pertinentiis suis circumstantibus, pro sua habitatione, ac illas ipsas, quas Episcopus Morinensis pro tempore existens, in eisdem Iprensi Ecclesia, Civitate & Diocesi, prout sibi per divisiones hujusmodi contingit:

Et insuper, quas Abbas, seu Præpositus Sancti Martini Monasterii, seu Præposituræ, & Præpositus Ecclesiæ Furnensis hujusmodi olim quomodolibet habebant, collationem, provisionem, presentationem, electionem, institutionem, confirmationem, & quancumque aliam dispositionem omnium, & singulorum proventuum, dignitatum, personarum, etiam (exceptis infra scriptis affectis) Canonicatum, & Præbendarum, administrationum, & officiorum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum cum Cura, & sine Cura Sacularium, ac prædictorum, & quorumvis aliorum Ordinum Regularium, per eum, & futuros Præfules Iprenses, vel alium, seu alios, eorum nominibus liberè faciendas, etiam perpetuo reservamus, concedimus, & assignamus.

Et ut ipse Episcopus Iprensis suam Ecclesiam personis eruditis, & ad jurisdictionem inibi exercendam, cæteraque Munera Ecclesiastica obeunda idoneis, debite instructam, jugiterque decoratam habeat, similiter perpetuo statuimus, & ordinamus, quòd novem Canonicatus & Præbendæ, ex Ecclesia Morinensi ad Ecclesiam Iprensensem translata hujusmodi, quos suppressioni, applicationi, & unioni aliorum trium Canonicatum, & Præbendarum Mensæ Episcopali Iprensi hujusmodi, loco factò per cessum, etiam ex causa permutationis, vel decessum, non tamen per obitum, apud Sedem præfatum, aut alias vacare contigerit, vel etiam si actu nunc quovis modo vacant, ac Dispensationi Apostolicæ specialiter vel generaliter reservati, ac Sacerdotales existant, & super eis inter aliquos lis, cujus statum præsentibus etiam haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa, tribus Magistris, aut Licentiatibus in Theologia, & tribus Doctoribus Decretorum, seu in eis Licentiatibus, & tribus Nobilibus ejus Diocesis, etiam in Jure vel Theologia, saltem Gradu Licentiaturæ, in famosa quapiam Universitate Studii Generalis, secundum tenorem primodictarum litterarum promotis, ordine præ-

missio servato, in perpetuum concedi, & assignari debeant.

Quodque ad sex priores, tam Nobiles, quam non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos verò tres Canonicatus, & tres Præbendas ex reliquis novem Canonicatibus, & totidem Præbendis hujusmodi, nulli nisi Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint.

Ac omnes & singuli, ratione suarum hujusmodi Præbendarum, consilium & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim, quam divisim, præstare teneantur.

Et Archidiaconus (nisi Præbenda Archidiaconatus suo annexa sit) Archipresbyter, Pœnitentiarius, Cantor, Scholasticus & Thesaurarius præfati ex dictis novem Graduatis ad nominationem Episcopi Iprensis assumi, & omnium primi post Episcopum vacaturus novem Canonicatus, & Præbendas affectos hujusmodi, ordine in dicta designatione expresso servato, consequi debeant.

Et ut de viris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem imprimis Ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur, quod ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ hac prima vice per Episcopum duntaxat, & deinde quoties illi futuris temporibus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Episcopi, & aliorum Graduatorum prædictorum superstitum per eos conferantur, & in hujusmodi electione Suffragium Episcopi, non plus juris, seu momenti, quam cujusvis Graduatorum habeat, nisi votum paritate occurrente, tuncque iteratum ad hoc Episcopi Suffragium paritatem votum hujusmodi dirimat.

Quodque posthac ipsi novem Canonicatus, & novem Præbendæ sub nullis specialibus vel generalibus, etiam mentalibus reservationibus, affectionibus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providendo, commendando, & alias disponendo, primariis precibus nuncupatis, aut aliis gratis præventivis, per nos, aut Romanos Pontifices pro tempore existentes, & dictam Sedem Apostolicam, vel ejus Legatos, aut aliis consideratione, contemplatione, intuitu, & ad instantiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, ex quacumque causa quantumlibet urgenti pro tempore factis & concessis, comprehendantur.

Nec etiam tanquam vacantes apud Sedem Apostolicam præfatum, aut ulla alia ratione, generaliter vel specialiter reservari, nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex causa permutationis apud Sedem eandem pro tempore occurrente, per Romanum Pontificem, aut Sedem eandem de illis provideri, aut alias quoquo modo disponi possit, sed forma electionis præmissa, omni tempore servari, nullaque causa refringi debeat.

Quodque unus ex novem Canonicis prædictis Magister, seu Licentiatius in Theologia, & alter Decretorum Doctor, seu etiam Licentiatius, Seniores ratione suarum Præbendarum facultarem habeant visitandi per universam Diocesim Iprensensem prædictam, quoties ab Episcopo Iprensi, cæteri verò Canonici Graduati prædicti, quandocumque requisiti fuerint, illis assistere teneantur.

Ac ex reliquis senioribus Canonicis præfatis, duo in Theologia, & unus in Jure Canonico Graduati, ut præfertur, una cum Archidiacono Curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & admittendos ad Curam animarum, quancumque auctoritate illi provisi fuerint, neminem nisi idoneum, seque personaliter residentiam facturum, mediante juramento promittentem, admittendo.

Et quoniam impia hereticorum studia, temporisque malitia viros doctos ab Ecclesiis suis divitiis abesse non patitur, quòd si Canonici Graduati prædicti ab Ecclesia sua, nisi ab Episcopo missi, per

duos Menses abfuerint, integros suæ Præbendæ fructus illius anni amittant, & Capitulo cedant.

Ac omnes proventus singularum Præbendarum in duas æquales partes dividantur, quarum altera quo quotidianis distributionibus, his solis, qui Divinis Officiis in Choro deservierint, & inibi à principio usque ad finem, exceptâ necessitatis causâ, permanferint, ministrari debeat, nec quisquam ulla dispensatione, vel alio Privilegio Apostolico quacumque causa impetrato, vel concessio, sese à residentia hujusmodi eximere possit.

Cæteræ Ecclesiæ Civitatis sub Cura dicti Archiepiscopi Iprensis, extra verò eam & in Diocesi Iprensi existentes, vel sub suis Decanatibus, seu Archiepiscopatus, aliisque Jurisdictionibus, prout hætenus remaneant, vel meliori modo arbitrio Episcopi distribuantur, ipsorum Decanatum Decani verò, salva dicti Episcopi moderatione, emolumenta hætenus percipi solita percipere possint.

Quodque Archidiaconus Flandriæ in ipsa Ecclesiâ Iprensi institutus post cessum, vel decessum præsentis possessoris, talem in dictâ Diocesi Iprensi Jurisdictionem, qualis ibidem ab antiquis Archidiaconis haberi, & exerceri consuevit, obtinere, & exercere debeat.

Districtius inhibentes universis & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, Episcopis, ac dilectis Filiis Abbatibus, cæterisque locorum Ordinariis, ac Conventibus, Superioribus & Personis, nec non illi, vel illis, ad quem, vel ad quos suppressorum, & translatorum Præposituram, Decanatûs, Archidiaconatûs, Cantoriæ, Pœnitentiariæ, Scholasticæ, & Thesaurariæ, ac Canoniarum, & Præbendarum, & Cappellaniarum, aliorumque Beneficiorum prædictorum collatio, provisorio, seu quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet.

Et quibuscumque aliis, cujuscumque dignitatis, status, ordinis & conditionis existentibus, in virtute Sanctæ Obedientiæ, ac sub Excommunicationis majoris, aliisque sententiis, censuris & pœnis, nec non privationis omnium Dignitatum, Officiorum & Beneficiorum suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne de illis, si vacant, aut cum vacaverint, ut præfertur, cuiquam providere, aut aliâs disponere, seu præmissorum effectus, & executionem in aliquo quantumcumque modico impedire, aut molestiam vel injuriam quampiam irrogare quoquomodo præsumant.

Ac decernentes ex nunc plenum jus in præmissis omnino acquisitum esse, ut super his Beneficio Regularum, de non tollendo jure quæsito, ac de annali, & triennali possessore, nec non privilegii omnibus, quibus diuturni possessores pacificè quomodolibet utuntur, potiuntur & gaudent, plenariè uti, potiri & gaudere debere.

Ac novem Canonicatus, ac novem Præbendas ejusdem Ecclesiæ Iprensis sic affectos prædictos per quoscumque, etiam prætextu mandatorum de providendo, nominationum, facultatum, etiam juxta concordata Nationis Germaniæ, expectatarum, & quarumcumque aliarum Patriarum quoquomodo minimè acceptari posse.

Et nihilominus quascunque acceptationes, collationes, provisiones, commendas, uniones, annexiones & incorporationes, ac alias dispositiones de eisdem, & eorum aliquibus, etiam per nos & Sedem præfatam quomodolibet factas, vel faciendas, nullius prorsus roboris, vel momenti fore, nullumque per eas cuiquam jus acquiri, seu etiam coloratum titulum possidendi tribui posse.

Ac concessiones, assignationes, suppressionem, extinctionem, translationem, erectionem, institutionem, unionem, annexionem, incorporationem, applicationem, appropriationem, statutum, ordinationem, inhibitionem, decretum, cæteraque præmissa, ac præsentis litteras ex nunc omnimodum effectum sortita esse, & censi, nec sub qui-

busvis revocationibus, alterationibus, suspensionibus, vel limitationibus similibus, vel dissimilibus unionum, annexionum, suppressionum, extinctionum, etiam effectum non sortitarum, quæ posthoc per nos, vel Successores nostros, tam in crastinum assumptionis cujuslibet eorum ad Summi Apostolatus apicem, quàm aliâs quomodolibet, & cum quibusvis clausulis & decretis, quocumque tempore fient, includi, sed illis non obstantibus in suis vigore, robore, & efficacia persistere, & quoties illæ emanabant, toties in pristinum restituta, & de novo concessa, sicque incommutabilis voluntatis, & intentionis nostræ fuisse, esse, & fore.

Ac easdem præsentis litteras nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, aut in jus, vel controversiam, quacumque ratione vel causâ vocari posse.

Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, & ejusdem, ac Romanæ Ecclesiæ Cardinales in quavis causa, & instantia, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere: ac ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quopiam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopo Mechliniensi, & Episcopo Amerinensi, ac dilecto Filio Decano Ecclesiæ Sancti Petri Casletensis, Iprensis Diocesis, per Apostolica Scripta motu simili mandamus, quatenus ipsi vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios præsentis litteras, & in eis contenta quacumque, ubi & quando opus fuerit, ac quoties pro parte moderni, & pro tempore existentis Episcopi Iprensis, & aliorum quorum interest, & quomodolibet intererit in futurum, requisiti fuerint, seu eorum aliquis fuerit requisitus, solemniter publicantes, eisque, & eorum cuilibet in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra Episcopum Iprensensem, & alios prædictis concessionibus, assignationibus, suppressione, extinctione, institutione, translatione, erectione, institutione, unionem, annexione, incorporatione, applicatione, appropriatione, statuto, ordinatione, decreto, ac præsentibus litteris, & in eis contentis hujusmodi pacificè frui, & gaudere, ac alias litteras, & in eis contenta hujusmodi firmiter observari.

Non permittentes illos, seu eorum aliquem de super per supradictos, aut quoscumque alios quomodolibet indebitè molestari, contradictores quoslibet, & rebelles per Censuras & Pœnas Ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, nec non legitimis super his habendis servatis processibus, censuras & pœnas ipsas, etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

Non obstantibus voluntate nostra prædicta, nec non Lateranensis Concilii novissimè celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus à jure permisis fieri prohibentis, ac pie memoriæ Bonifacii PP. Octavi, etiam Prædecessoris nostri, etiam de una, & Concilii Generalis de duabus, non tamen tribus diebus, aliisque Ecclesiasticis Constitutionibus, & Ordinationibus, etiam in Corpore Juris clausis, ac aliis reservatoriis dictæ Cancellariæ Apostolicæ regulis, etiam reservatoriis, & reservatoriarum innovatoriis, ac in favorem Ordinariorum, & aliâs in contrarium quomodolibet editis, & edendis.

Nec non singularum Ecclesiarum, & Monasterii, & Ordinis prædictorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiisque, indultis, conservatoriis, exemptionibus, & Litteris Apostolicis, Ecclesiis, Monasteriis, Conventibus, Ordinibus, Superioribus, Ordinariis, aliisque Collatoribus, & Personis præfatis per

quoscum-

quoscumque Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem præfatam etiam per viam generalis Legis, & Statuti perpetui, nec non initi, & stipulati contractus, seu quasi, & alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & aliis decretis, etiam consideratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam supradictorum, & quorumcumque aliorum, ac etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, nec non consistorialiter, & alias quomodocumque, & qualitercumque, ac quotiescumque concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, ac concedendis, nec non quibusvis specialibus, vel generalibus reservationibus, etiam mentalibus, expectativis, & aliis gratis, unionibus, annexionibus, & incorporationibus perpetuis, vel temporalibus, absque consensu Coadjutorum deputationibus, nominationibus, citra accessus, & regressus facultatibus, Litteris, Mandatis, Concessionibus, & Indultis quibuscumque, etiam cum provisionibus, & aliis dispositionibus, etiam Cardinalibus, ac etiam nostris antiquis, & descriptis familiaribus, etiam Imperatoris, Regum, Ducum, aut aliorum Principum contemplatione, vel intuitu, seu in eorum, aut Ecclesiarum, Monasteriorum, ac aliorum Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel etiam in ullius favorem, aut etiam ob remunerationem laborum, Nobis, & Sedi præfatæ impensorum, aut in recompensam Jurium cesorum, vel oblatorum, aut alias quomodolibet, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam attestativis mentis nostræ de illis non revocandis, aut suspendendis, irritantibusque, & aliis decretis in genere, vel in specie, de Monasteriis, Præposituris, Decanatibus, Archidiaconatibus, Cantoria, Penitentiaria, Scholastria, Theauraria, ac Canonicatibus, & Præbendis, etiam translatis, unitis, & suppressis, ac Cappellaniis, & aliis Beneficiis hujusmodi concessis hæcenus, & in posterum concedendis, quos, & quæ, illorumque omnium vim, & effectum quoad hoc omnino suspendimus, & in Monasteriis, Præposituris, Decanatu, Archidiaconatu, Cantoria, Penitentiaria, Scholastria, Theauraria, ac Canonicatibus, & Præbendis, Cappellaniis, & aliis Beneficiis hujusmodi effectum sortiri, aut locum sibi vindicare non posse, neque debere decernimus.

Illisque, ac Statutis, Privilegiis, Indultis, & Litteris supradictis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice duntaxat specialiter, & expressè derogamus contrariis quibuscumque.

Aut si aliqui in Morinensi, & Furnensi Ecclesiis præfatis in Canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de Canonicatibus, & Præbendis ac Dignitatibus ipsarum Ecclesiarum, ac hujusmodi speciales, vel pro aliis Beneficiis Ecclesiasticis in illis partibus generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Litteras impetrarint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem, & decretum, vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem Litteras, & Processus habitos per easdem & inde sequuta quæcumque ad Monasterium, Præposituras, Decanatum, Archidiaconatum, Penitentiariam, Cantoriam, Scholastriam, Theaurariam, ac Canonicatus, & Præbendas, ac Cappellanas, & alia Be-

neficia volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assequutionem Canonicatum, & Præbendarum, ac Dignitatum, vel Beneficiorum aliorum, præjudicium generari, & quibuslibet aliis Privilegiis, Indultis, & Litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, quorumque tenor exstant, per quæ presentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda sit in nostris Litteris mentio specialis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis, assignationis, suspensionis, extinctionis, translationis, erectionis, institutionis, unionis, incorporationis, applicationis, appropriationis, reservationis, statuti, ordinationis, inhibitionis, decreti, mandati, suspensionis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo, quinto Idus Martii, Pontificatus nostri, anno secundo.

Subsignatum erat Fed. Cardinalis
Cæsius.

Cæsar Glorierius, A. de Alexiis.

Sylvæducentem in Brabantia Sedem Episcopalem erigit, Archiepiscopatus Mechliniensis Suffraganeam, Ecclesiamque Collegiatam Sancti Joannis Evangelistæ ibidem designat Cathedralem, & pro dote Episcopi constituit Abbatiam Tongerloensem, Ordinis Præmonstratensis, in Campania: anno 1560.

V.
Ex Oper.
Diplom.
Miræ
Tom. II.
p. 93.

PIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DE Statu omnium Ecclesiarum, præsertim Cathedralium insignium noviter erectarum, prosperè, & feliciter dirigendo attentius cogitantes, ad ea libenter intendimus, per quæ illarum conservationi, decori, ac venustati, ac præsertim illis præfidentium commoditati, ac aliorum in eis divinis Officiis vacantium opportuna subventioni consulatur.

Et interdum ea, quæ à Prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus, super his consultè gesta fuerunt, ex saniori Consilio immutamus, ac desuper disponimus, prout & temporum ac personarum & Regionum qualitatibus diligenter consideratis conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Cum itaque (sicut fide digna relatione accepimus) postquam felicis recordationis Paulus Papa Prædecessor noster, providè considerans, eam partem inferioris Germaniæ, quæ Charissimo in Christo Filio nostro Philippo, Hispaniarum Regi Catholico hæreditario jure etiam tunc subjecta erat, paucos habere Episcopos, nullumque Metropolitanum, qui eam regerent, uti illius amplitudo, & frequentissimorum Oppidorum celebritas, ac longè, latèque distitorum Castrorum, & Pagorum suorum copia, animarumque multitudo, varium item idioma, & vitæ institutum, ac denique temporis deplorata ob hæreticos conditio expostulabant.

Hisque, & aliis gravibus causis eum impellentibus, volens periclitanti in partibus illis fidei Catholice succurrere, pioque desiderio dicti Philippi Regis satisfacere, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum Fratribus suis, de quorum numero tunc eramus, deliberatione matura, de eo-